

www.e-rara.ch

**Parēgorēma ecclesiae et singulorum piorum, complectens
explanationem oraculi**

Grynaeus, Johann Jakob

Basileae, 1588

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-15173>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ΠΑΡΗΓΟΡΗΜΑ
ECCLESIAE
ET SINGVLORVM
PIORVM, COMPLE-
ctens explanationem
Oraculi:

*Sic enim dixit Dominus Iehouah San-
ctus Israelis, In resipiscencia & requie
salui eritis: in tranquillitate & spe erit
fortitudo vestra: & non ac-
quiescistis. Isa.*

30.15.

Ad Virum

bonorum clarorumq; hominum
amicitia, eruditione & virtute to-
to orbe Christiano celebrem, D.

IACOBVM MONA-
VIVM, Vratislaui-
ensem.

*Disputabitur, sub O. S. W., 15. Augusti,
respondente*

PAVLO VVERNERO, SILESIO.

Basileæ, Anno 1588.



CL. ET PRÆSTANTISS.
VIRO

IACOBO MONAVIO,
PATRITIO VRAT-
SLAVIENSI, L. C.

OBITUM

PETRI MONAVII,
FRATRIS, MED. CÆSAR.

DEPLORANTI
P.

VALENTINUS THILO
LIGIUS.

Tristia dum rerum versant ludibria terras;
Et plicat intorto Sors vaga fune vices:
Erigat invictas ad Cæli sidera mentes.
SPES tacita, & puro mascula corde QUIES:
Pura QUIES salvos dabit, & solatia mittet;
SPES tacita in forti robore damna premet:
Sic maris & terræ DOMINUS, qui præsidet astris,
IOVA, DEUS Sanctus, Dux Israël ait.
Tu quoque jam luctum, jam tristia signa, MONAVI,
jam gemitum ad Clari funera FRATRIS habes:
Erige concussam Cæli sub sidera mentem;
SPES levet, ac firmet pectora, iussa QUIES.
IPSE tuas FACIET sortes; tua vota reponet;
Fide, fide vinces tristia; læta canes.
Fusus fœnus erit, Vitæ solatia luctus,
Spem Cæli gemitus, gaudia mœror aget.

D. IACOBO MONAUIO

S. P. D.

Johannes Iacobus Grynaeus.

IN Epistola tua, quam Cal. Iunij, hoc anno Epochæ Christianæ 1588. Vratislauia ad me dedisti, ais, Vir cl. Petrum Monauium, Aulæ Imperatoris nostri R. V. DOLPHI 2. Augusti, Medicum elegantissimum, germanum tuum fratrem, & ante decennium meum in hac Basiliensi urbe ὁμοτράπεζον καὶ ὁμόσπονδον, ac amicum magnum, ætatis suæ aëno 37. Pragæ Bohemorum, die 12. Maij, placido & beato fine uitam in his terris clausisse: Te uerò manu Dei tactum, in luctu esse, & ut sunt ἰσινὰ πρὸ τῶν φίλων ἄχῃ, me quoq; tanti doloris consortem habere.

Respondeo, Me non modò tibi condolere, sed etiam unà tecū, ita ut Christiana fides, caritas & spes mouent, de panchresto consolationis, seriò cogitare, & de eodem paratum tecum συναρρολογῆν.

Verumenimuerò, ne Stoicum agere, & illud solum in memoriam tibi reuocare uidear, quod Imperator Antoninus pius, moriens dixisse fertur: Quid me fletis, amici, ac non magis de communi morte pestilentiaq; cogitatis? Age per ἡθροπίαν quandam, ipsum meum fratrem tuum ἀρχινοβον aduenientem, et ad Dei gloriam ac Sanctorum consolationem, eorum συναρρολογούντων, qui hoc ipso anno diuersis in locis fato functi, liberati sunt ab omni malo, historiam pertexentem, si placet, unà mecum audi,

A 2 An-

An' non, inquit ille, solatio potius quam dolori uobis esse debet, medica illa Dei manus, qua tangit & sanat, omnium ordinum & ætatum & gentium pios homines: & quæ sublimi benignè demissa, apprehendit nos omnes, & extrahit nos ex aquis multis, eripit ab hostibus, & deducit in Paradisum?

Hoc ipso anno, me quidem præcesserunt in uia uniuerse carnis, primum, illustrissimi Principes, ROBERTVS GVILHELMVS Dux Bulionæus, postremus in ea familia, iuuenilibus annis, sed maxime pietate & uirtute florentissimus, Geneuæ: cuius fratri Iohanni, Marchæ Comiti, tu quidem Grynce, superiore anno, in priuato congressu, Godefridi Bulionæi, Hierosolymæ quondam Regis, uirtutem & gesta exposuisti: deinde, HENRICVS Princeps Condensis, qui didicerat Christi probum Aegypti thesauris anteferre: tertio, serenissimus ille Daniæ & Noruegiæ Rex FRIDERICVS 2 & recens, Georgius à Sayn, Comes Vuitgenstenius, pietate & prudentia clarissimus. Hi omnes eandem ueram fidem professi, obdormierunt in Christo Iesu.

Mortuus autem est & PHILIPPVS Badensis Marchio, sponsam, uitæ sociam, ut perhibent, expectans & suo occasu uobis in memoriâ reuocauit tum historiam de Ladislao Vngariæ & Bohemiæ Rege, Alberti 2. Cesaris posthumo, tum prouerbia: Homo bulia. &, Omnia idem puluis.

Deinde, ex eruditorum choro & literatæ nobilitatis ordine, in una urbe Basiliensi, diem suum obierunt, Dn. THEODORVS ZVINGGERVS, Medicus, Philosophus & Polyhistor, 10. Martij: Dn. CHRISTIANVS VRSTISIUS, Reipub. Archigrammateus, & uir de Academia Basiliensi benè me-

nē meritus, 30. Martij: & hi uerbi Dei Ministri, IOHANNES FOSSANVS, 1. Martij: ISRAEL RITTERVS, 16. April. IONAS GRASSERVS, 27. Martij. In ipso autem flore iuuentutis & studiorū suorum, decesserunt, ADRIANVS BANDEMER, Pomeranus, 19. Februarij: IOHANNES ROETELIVS, Vratislaviensis: CHRISTIANVS A' ZARTH, Pomeranus, 6. Februarij: & ADAMVS STAFFELT, Mechelburgicus, 5. Februar. quibus tu, Grynce, adfuisi ægrotantibus. Lugent & Hamburgenses propter obitum magnifici Consulis, EBERHARDI MOLLERI, qui non solum *κέρμον παρ' ἡμῶν τῇ πόλει*, sed etiam patriæ oraculum & præsidium fuit. Recens Heydelberga deplorauit obitū præstantissimi uiri, D. HARTMANNI ab Epingen.

Hæc quum ita sese habeant, cur non potius, nobis quidem aduentū in cœlestem patriam, contubernium cum CHRISTO IESV, cum electiorū hominum beatis Spiritibus, gratulamini: quàm luctu uosmetipsos affligitis? Cur non potius uos ad eandem migrationem præparantes, & uos non amisisse nos, sed præmisisse in Paradisum Dei, agnoscitis? Equidem, clarissime D. IACOBE MONAUE, quum exemplo suo frater tuus, piè hac uita functus, hæc omnia nobis testetur, par est nos eodem multò magis, quàm ullo euanido sermone, affici. & in propitia Dei uoluntate acquiescere.

Sed, ais, frater meus, si in terris diutius superstes fuisset, poterat consilijs medicis multis prodesse, excitare aliorum pia & erudita studia, mihi etiam solatio & uoluptati esse. Poterat, inquam, mi D. Monaue, me quoq; qualicunq; iudice. Scio enim quàm fuerit & *φειλάται* illius ingenium, ubertate doctrinæ & iudicij acri-

monia præstans: quàm etiã *Διερρηπκὸν καὶ ἡθικὸν*. Sed hæc tibi regero: Præstare ut quis in patria, quàm in exilio sit. Beatos esse qui in Domino obdormiunt. Homines Dei causa potissimùm cōditos, eius instrumenta esse, quorū usus tantisper salutaris est, dum ijs adhibitis salutaria præstare Architectus ille Opt. Max. dignatur.

Philippus Melanchthon, quum olim per Epistolam consolaretur parentem meum Thomam, deplorantem obitum Simonis Grynæi patruī sui, inter alia scripsit: *Quum vera sit sententia Theophrasti de vite humane breuitate: non quàm diu, sed quàm bonè vitam in his terris quispiam transegerit, spectandum est.* Brevis quidem fuit uitæ fratris tui PETRI MONAVII periculus, sed gloriosa: quia Deo uixit, & nobilissimæ artis Asclepiadæ praxi, ijs ad quos manu Dei ductus fuit, seruiuit. Et nunc quoque Deo uiuit: sed *ἐξω βελῶν*, & iam uerè philosophatur, unà cum Philippi Melancthonis, Caspari Peuceri, iunioris, cum Matthiæ Stoiij, cum Theodori Zuinggeri, cum Iohannis Cratonis, cum Ioachimi Curæi, & aliorum piorum, uerè beatis Spiritibus. Videt iam comminus, operum Dei naturam, ordinem, *συμμετρίαν*, usum: & suauissimè acquiescit in Sapientia Filij Dei, liberatoris nostri Iesu Christi. Intelligit enim non illud solùm τὸ τῆς Θεῆς γνώσιν, quod ex rerum uniuersitate discitur: sed etiam illā perfectam *ἐληγήαν*, ueritatem, qua sanctificantur Electi, & in qua uita æterna posita est.

Monet autem ille nos suo exemplo, & de hac Parabola. Ut qui iter in longinquas regiones facturi in procinctu sunt, & carissimis amicis ualedicunt, admodum *φιλοφρόνως καὶ ἡθικῶς* omnia dicunt & faciunt: neminem bonum consultò offendunt: memoriam suā & suorum amicis *μάλιστα πνευματικῶς καὶ νοητικῶς* commendant:

dant: Sic etiā nos omnes, in procinctu nostrę ad Christi migrationis constituti, tanquam *χαρίσιν*, Christiani demus operam, ne deteriores Ethnico illo Socrate comperiamur, cui studio erat dictis factisque Auditores suos *δασβετέρας καὶ σωφρονετέρας* reddere: limus amantes sine fūco eorum quibus cum extremos uitę dies ducimus claudimusque: hortemur & nos ipsos & alios ad pietatem, temperantiam, iustitiam, fidem & bonos mores: statuamus etiam ueram concordiam præcipuū esse bonum, & studio habeamus cum bonis *ὁμοιοεῖν*: nec cum ijs contendamus, qui, ut ait Bernardus, pacem contemnentes, & gloriā captantes, utramque perdunt. In hac sententiā scio fuisse fratrem tuum, qui quum me, Anno Christi 1584. scriptis polemicis ab Androclide & eius laternario peti animaduerneret, hortatus est me, ut memor naturę & professionis meę, abstinerem à Scriptorum contentiosorum tum lectione, tum scriptione non necessaria, ac αὐτῷ τῷ ἔργῳ repeterem sententiā uersus:

ὃ γὰρ ἐγὼ δ' ὡάμαι τοῖς κυκλοπέσι μάχεσθαι.

Equidem hoc ipso tempore, quo Basileę mecum agit D. Iohannes Spechtius, I. V. D. mihi que suo exemplo in memoriā reuocat Socratis dictum, *παίδων κλημάτων κρείσσον ἐστὶ φίλῳ σαφὲς καὶ ἀγαθόν*: quo etiam nobiles adolescentes, Alexander & Casparus à Stosch, patrueles, mihi sua *καλοκαγαθία* recordationem nobilis uiri Nicolai à Burghaus (cui uisum est *μνημόσυον* suę erga me beneuolentię, quasi tua manu adhibita, penes me deponere) iucundā & suauem reddunt: quo etiam præstantis uiri, D. Martini Schillingi, cui studio esse animaduerto (opinor & ob sancti uiri Philippi Melanchthonis memoriā) anniuersario beneficio de me benē mereri, & aliorum gentis uestrę hominū memoria

moria me oblecto: mihi summæ curæ hæc tria esse debere persuasi: primum est τὸ ἀληθὲς, uera docere modestè, quando, ut præclare Bernardus dixit, Superbo oculo ueritas non uidetur, sincero patet: alterum τὸ ἔργον, benè mereri de alijs: postremum, quum hora erit, ἐν ὁφθαλμοῖς πλεῖστον: ita mori, ut mihi ipsi & alijs benè ex animo precer.

Benè uale. Basileæ, Calendis Augusti, quo die Aaron obiit, an. Mundi 2493. quo eodem anno obiit & Moses. Obiit autem anno Christi 1541. Cal. Augusti, & Simon Grynæus, senior: & anno Christi 1564. eodem die Augusti, eodem que morbo, Thomas Grynæus, illius ex fratre nepos, meus uerò parens.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

ΙΕΗΟΥΑΕ

Τ' ΓΙΕΪΑΣ ΚΑΙ ΠΑΝΑΚΕΪΑΣ

PARENTΙΣ

Asclepiadaeo succenturiato,

Philosopho & Philologo πολυγλώτῳ,

DN. PETRO MONAVIO,

Vratislaviensi Patritio,

Aulæ Cesareæ Medico,

IOAN. IAC. GRYNÆVS

Basileæ, utè antè decennium hospiti optatiss.

lauream Apollineam: sic iam cœlicolæ

immortalitatis coronam adeptο,

H. M. P. gratulatur.

OBIIT

Piè, Pragæ Bohemorum, ætat. suæ anno

xxxvi. I. Christi 1588. 12. Mai.

ΙΗΤΡΟΣ ΑΝΗΡ ΠΟΛΛΩΝ

ΑΝΤΑΞΙΟΣ ΑΛΛΩΝ.

I. Πρόβλημα.



N publicis & priuatis periculis, angoribus & doloribus Ecclesie militantis & singulorum Piorū, acquiescere decet in diuino beneplacito & præsidio.

II. Εὐθεσίς τῶ διδομένων.

Duo hæc extra controuersia aleam posita sunt.

Alterum est, Fando pro dignitate declarari non posse magnitudinem & varietatem publicarum & priuatarum generis humani, ac in primis Ecclesie senio confectæ, & singulorum Piorum, miseriarum dolorumq̃: imò ne quidem cruentis ac ijsdem largissimis lacrymis satis eos posse deplorari.

Alterum autem est, Eandem hac in parte esse Ecclesie Matris, & singulorum Piorum, tanquam Filiorum, arumnosam sortem: & horum esse illius modestiam, tolerantiam, patientiam & alias virtutes piè emulari.

III. Διορισμός τῶ ζητούμενου.

Quum autem Caro nostra ad hominum, Spiritus verò noster ad DEI beneplacitum & præsidium, nos reuocet, & in eo suauiter acquiescere iubeat: id iam potissimum queritur, Cui tandem nobis sit obtemperandum, Carni ne, an verò Spiritui?

Certissimū autem est, quum isti duo Consultores eum ad modum sententijs dissideant, vt ea suadeant quæ bis per omnia repugnant, neminem vnum vtriq̃ fidem ha-

B bere,

bere, & satisfacere posse. *Matth. 6. 24.*

Hominem in trinitio cogitationum constitutum, siquidem is animalis ac mūdo huic deditus sit, Caro à DEO ad Homines retrahit, ut in horum benevolentia & potentia, proram et puppim salutis sue collocet præcipue, tanquam in secundis causis, sine quibus (Stoica phantasia fascinat) Deum nihil admodum homini præstare posse, opinatur: Sin verò spiritualis ille sit, ac DEO suo addictus, Spiritus à Mūdi labyrintho, ad Deum ac huius viam rectam reducit, ut in eo spem omnem ponat, de quo olim cecinit illa Deo & bonis omnibus cara Philomela:

Inuictamq; Dei dextram vis nulla repellat,

Omnia cogentur cedere prona Deo.

Ipsa etiam quamvis Adamanti incisa feruntur,

Quum petimus, cedunt fata senera Deo.

Nec Deus est numen Parcarum carcere clausum,

Quale putabatur Stoicus esse Deus.

Ipse potest Solis currus inhibere volantes,

Ipse velut scopulos flumina stare iubet.

*Acquiescere in Deo est, abdicato Carnis de vita instituenda, de leniendis et depellendis vitæ miseris & periculis, de præsidio humano, consilio: vni Deo vitam, mortem, fortunas, formam, salutem suam consecrare, ac quacumq; illum de hisce ceterisq; omnibus statuere experitur, cum gaudio sancto et vera gratiarum actione suscipere, ac hæc omnia alta mente reposita habere. Bonum suscepimus à Domino, & malum non suscipiemus? *Iob. 2. 10. Item: Benedictus vir qui fidit Iehouæ, & est Iehouah fiducia eius. Ierem. 17. 7.**

hæc

III. ἢ κατὰ σκευή.

Axioma hoc, seu fontem Demonstrationis, pijs mentibus perpendendum proponimus ex Esaia cap. 32. 15.

Sic enim dixit Dominus Iehouah, Sanctus Israelis: In resipiscencia & requie salui eritis: in tranquillitate & spe erit fortitudo vestra: sed non acquiescitis.

In homine animali πρῶτον ἰσχυρὸς ἐστὶν, In re incerta, aut quum in acie nouacula constituti omnia aduersa experimur, ad causas secundas, tanquam proximas, nos confugere, ac Mundi opem implorare oportet. Hoc verò est ē flamma cibum petere: & vita donum ab eo petere qui benivolus trucidator est.

Sed in regeniti hominis mente hac πρῶτη ἀλήθεια regnat: Etsi Deus, non secundum nostras cogitationes, nos inuat: tamen, in aduersis ad eum solum fide nobis confugiendum. Ratio: Quia ipse format lucem & creat tenebras, facit pacem, & creat malum. Isa. 45. 7.

Confugiunt autem fide ad Deum, qui & siue al sint, siue adsint media, Deo tamen vni (his seu instrumentis quum visum est vtenti) omnem gloriam tribuunt, & norunt sibi omnia cooperari ad bonum. Rom. 8. 28.

V. ἢ ἀπὸ δειξίς.

Quæadmodum diuina consilia eadem sunt, de ijs quorum eadem est conditio: ita quoq; ijs qui illis obsequuntur, semper salutaria esse consueuerunt. Ac felices sunt, quos

aliena obedientia promptiores ad obsequendum: aliena verò pericula, in quæ propter inobedientiam inciderunt, can-
tos, reddunt.

Enimverò si prudentis pijq; hominis consilium res sa-
cra est: quanto magis Dei consilium res sacrosancta cense-
ri, debet?

Ac si consilium est, non de fine, sed de ijs quæ sunt ad fi-
nem: ut recte Aristoteles censuit: finis autem toti Ecclesiæ
propositus est, ut ea seruetur & fortis sit in Domino, nec
aduersus eam portæ inferorum præualeant: profecto sum-
mum est Dei beneficium, quòd is Ecclesiæ militanti et sin-
gulis pijs consulit. Psal. 16. 7. Benedicam Iehouæ qui con-
sulit mihi, &c.

Atqui olim, quū regnante in Iudæa pio rege Ezechia,
instaret bellum Assyriacum, quod Sennacheribus Iudæis
intulit, multi non suis tantum, sed etiā Dei ipsius viribus
et præsidio diffisi: partim persuasione, partim munerib. Re-
gem Aegypti, protectorem & propugnatorem sibi conci-
liare, & cum ingenti exercitu accersere satagebant.

Id consilium, contumeliosum in Deum et pernitiosum
patriæ, dissuadens Iesaias, hæc quæ subiunximus, Dei no-
mine, grauissimè edixit.

Primum, standum esse in re tanta, tamq; ancipiti, non
Mardoniorum, Cleonum & Polypragmonicorum quo-
rundam hominum (inter hos fuit profanus ille Sobna, de
quo cap. 22. 15. &c.) sed vnius Iehouæ Domini, Sancti
Israelis,

Israelis, iudicio atque sententia.

Secundo, Hanc autem postulare, ut nimio hominum metu posito, per eos sanctificetur nomen Iehouæ, ad quem, ceu turrim fortissimam, confugientes iusti seruentur. Porro, religiosam hancce fiduciam comprobendam resipiscencia, quiete, silentio, & spe quæ non pudefaciat.

Postremò, Idèò iusto Dei iudicio ad extrema mala redigendos Iudæos, quòd nō sint acquieturi saluberrimo Dei consilio. Eapropter addit: Sed non acquiescetis: dicentes, Nequaquam, sed infidentes equo fugiemus: (addit ἔγωγε ὑπο) idcirco fugietis. at leui iumento vehemur: idcirco leuiore erunt vos persequentes.

VI. Τὸ συμπύρασμα.

Ergo etiam hoc tempore, Ecclesiæ Christi & singulis Pys, Iosephi contritionem lugentibus, non tantum audiendum, sed etiam per Domini gratiam præstandum est id omne, de quo oraculum monet: In resipiscencia & requie salui eritis: in tranquillitate & spe erit fortitudo vestra. ὅτι ἐν ᾧ ποιῆσαι.

VII. Confectarium primum.

Proinde in tantis Reipublicæ Christianæ & priuatorum hominum periculis & miserijs, Dei vox nobis audienda, quæ dulcissimè ait: Ego quoque ero ei (dicit I E H O V A H) murus igneus in circuitu, & in gloriam ero in medio eius. Zach. 2. 5.

Item: Castrametatur Angelus Iehouæ cir-

cum timentes eum, & eripit eos: *Psal. 34. 8.*

Confectarium secundum.

*Ergo citra Resipiscentiam nulla spes est mitigationis malorum. Luc. 1. 3. Nisi resipiscatis, omnes item peribitis. Constat autem Resipiscentia, tum Mor-
tificatione Carnis, tum Viuificatione Spiritus. Præclare Theodosius Imp. referēte Nicephoro Callisto: Nihil, dixit, noui est, homo si emoriatur: Sed hoc vnius Dei est, eum qui in offensis & peccatis mortuus est, per resipiscentiam reuocare ad vitam Deo gratam.*

Confectarium tertium.

Ergo quiescendum est hoc rerum humanarum tristissimo & modis omnibus perturbato statu. Quies autem hoc loco significat, non neglectiōem salutarium Ecclesie & Reipub. consultationum, quibus ardentissima vota ad Deum liberatorem miscentur: non intermissione eorum quæ publicis et priuatis vsibus seruiunt: non deniq. ocium ignauum & ὀσπρία: Sed eum Animi statum, in quo positi, licet omnia elemēta in eorum perniciem conspirasse videantur, acquiescunt tamen in Deo, ei soli sese totos permittunt, & cum Isaphato Rege precantur: Deus noster, an non iudicia exerciturus esses in eos? nam nō est in nobis vis oblistendi multitudini magnæ isti inuadentinos: & nos nescimus quid facturi simus: sed in te defixi sunt oculi nostri. 2. Chro. 20. 12

Confectarium quartum.

Ergo tranquillus ille & sedatus mentis nostræ status,
sacro

sacro silentio nobis comprobandus est. Ut enim infelix πολυπραγμοσύνη, extra metas divinitus præstitutas erumpere, & infelici conatu plurima obtinere, satagens, & casso labore Sisyphæos homines conficiens: ita etiam iniusta & ingrata μετὰ μισοῦ & querimonia de miseris vitæ humanæ, quàm longissimè à nobis abesse debet.

Est enim & tacendi tempus, ut dixit Salomon: Eccl. 2. 7. Et intelligunt p̃i sibi in iustis Dei iudicijs esse acquiescendum, & nequaquam Deo obloquendum. Etenim quum seipsos aspiciunt, occurrit illud Davidis: Obmutui, non aperiam os meum: nam tu fecisti: quum autem & alios intuentur, habent cur istud propheticum repetant: Intelligens illo tempore silebit, quum tempus mali erit. Amos 5. 13.

Enimverò si negotium nobis sit cum Deo, Spectare debemus Dominum cum silentio: ut Bernardus dixit: si cum bonis hominibus, Silendi patientia, loquendi opportunitas, & cōtemtus diuitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum: si deniq; cum improbis & in nos iniurijs hominibus, certum est hoc dictum Chrysostomi: Malum hominem tacendo potius quàm loquendo superabis. & hoc eiusdem: Si vis vlcisci, sile: & funestam ei dedisti plagam.

Confectarium quintum.

Ergo deniq; benè nobis est sperandum. Nam spes quæ non pudefacit, erit fortitudo nostra. Enimverò spe nobis est gau-

est gaudendum. Rom. 12. 12. quia est sacra anchora nostra,
tuta & firma, & ingrediens vsq; in ea quæ sunt intra ve-
lum. Hebr. 6. 9. Confirmet autem eam in nobis & ex-
perientia mirande conseruationis & defensionis nostræ,
& consideratio promissionū diuinarum & exemplorum
de ijs quos velut e media morte eripuit Dominus.

Antichristianorum autem, omni armorum genere
nos oppugnantium, bellici apparatus, minæ & impressio-
nes nobis in memoriam reuocent dictum: Hi in curri-
bus, & hi in equis sperârunt: nos autem nomen
Iehouæ Domini nostri memorabimus. Illi in-
curuati sunt & ceciderunt: nos autem surrexi-
mus & erecti sumus. Psal. 10. 7. 8. Et istud verbum
I E H O V A E ad Zerubabelem: Non virtute vlla,
neque potentia (hoc fiet) sed Spiritu
meo, dixit I E H O V A H exer-
cituum. Zach.